






VIII
LVCIANI
OPUSCULA
115
INCUNABULI
L
7
50
Biblioteca Nazionale
Centrale - Firenze










BIBLIOTECA
XV
NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE




Domici Palladii Sorani Epigrãmaton libelli.

Libellus elegiarum.

Genethliacon urbis Romæ.

In locutuleium.

In te cõuertas oculos:qui despicis omnes:
Et te:dum cunctis detrahis:inspicias.



Domicus Palladius Soranus. M. Antonio Sabellico eloquentissimo. Felicitatem.

SCIO ego Sabellice eloquentissime quãtas libelli huius editione sim inuidorꝝ procellas cõcitatūrus: a quarꝝ rapacissima uortigine demū uix me subtraherem. Nisi certum ipse haberem te quandoqꝫ: qui & Venetam hanc urbem ubi honorificentissime degis: & totum fere orbem fama & admiratione implesti: perinde mihi ac mineruæ clipeū tua autoritate impendentem omnē malignitatis uim procul excussurum. Et certe nunq̄ tantæ liuoris fluctuationi: quam fore scio: me temere exposuissem: ni prouocasset me tua illa extemporalis sententia: quæ mihi iam facta est peculiaris: me malle nõ esse natum q̄ natum mihi ipsi. Ob id itaqꝫ quicquid lusimus in nostris libellis non poliphonis iniquis sed ueris tantū amicis lusimus. Et si quorūdā ex nostris: qui omnino linguā incastigatā habēt: qđ uitiū (ut euripides ait) turpissimū est: perdita me dicacitas lancinabit: tamē ad aliquot dies & ipsi defatigati (ut spero) perfricata fronte ultro apertissimū suum accusabunt erratum.

Bene Vale.

Domicus Palladius Soranus. Ad Virginē Mariā.



IC MIHI pro cunctis cæli Regina camenis
Ad sis pro Phœbi numine diua precor.
Sola meos poteris firmare in carmine neruos:
Et poteris merita cingere fronde comam.

Ad eandem.

U Nica uirgo salus miseri spes unica mundi:
Sponsa dei: & genitrix omnipotentis aue.
Tu decus æternum: magni tu splendor olympi:
Tu Regina potens unica facta dea es.
Tu cælum: terramq; regis: tu tartara terres:
Omnia sub pedibus deniq; uicta tenes.
Te genus omne petit miserabile: teq; precatur:
Et seruatricem te genus omne uocat.
Multa pericla mari: & terra mortalibus instant:
Cuncta tamen per te quisq; pericla fugit:
Cuiq; patet cælum per te sanctissima uirgo:
Et cunctis per te tradita tuta uia est.
Q uid loquar ulterius genitrix dignissima Christi?
Tu spes æternæ es: firma salutis eris.

Distichon ad spectatorem.

S Pectator dominam cæli: terræq; saluta:
Et dic ut dixit nunctius almus: Aue.

Ad Reuerendissimū Thomā Donato
Patriarcham Venetiarum.

S Alue perpetuum decus leonis:
Illustris patriæ perenne lumen:

Donato celebris domus honosq;.
Salue præsidium salutis: ore
Ad quem sub timido: & parum uenusto
Perculsus uenio dolore tristi.
Vt qui uix rapuit suam carinam
Quassatam nimium maris procella.
Tu solus miserum potes beare:
Solus me superis paras amicum.
Ergo uaniloquæ ualete musæ:
Non me garrulitas iuuabit unq̄.
Solus gloriolæ minerua nostræ
Felix auxilio potes iuuare
Semper fatidico sonandus ore.

Ad illustrissimũ Guidũ ducẽ Vrbinatẽ.

HOrridus herbiferis semper qui degit in aruis
Villicus auratos horret adire lares.
Nauita cœnosam solitus sulcare paludem:
Non audet tumido credere uela salo.
Sic ego ne timeam uestras conscendere sedes:
Assueris mallem q̄ cynosura mihi.
Ergo age pacato famulum nunc suscipe uultu:
Nam rex: nam dominus: nam mihi Cæsar eris.

Ad Reuerendissimũ Hieronymũ
iustinianum Protonotarium.

CVra domus subiit: cura est aduersa poetis:
Morsibus heu tacitis quæ ferit ossa suis.
Quem tenet obtusa rerum discordia mente:
Nemo potest nitido condere metra pede.
Quem labor effusis lassat rationibus ingens:
Concinit incultis carmina iuncta modis.

Sed bene dispositis certo canit ordine rebus
Quilibet: elata qui mouet arte chelim.
Quare si tacui non me peccasse fatendum:
Cura domus: studii detinuitq; labor.
Scripsimus exacto curarum tempore: tandem
Siqua aderunt: pro te sedulus urget amor.
Sedulus inspectis uideo res undiq; causis:
Vt te q̄ praeceps officiosus amem.

Ad Magnificum ac Generosum
Angelū Lulinū Patritiū Venetū.

ADriacam celebris uolitat tua fama per urbē:
Et recto ad superos tramite cæpit iter.
Tanta animi probitas ad summū accessit honorem:
Et tantus pariter relligionis amor.
Iustus Aristides uocitaris: lumen & æqui
In gremio iuncta cum pietate foues.
Nestora consiliis superas: grauitate Catonem:
Eloquio Catulos: Attiliumq; fide.
Omnibus inq; tuis nitidum præstare Pisonem
Diceris: ingenii est gratia tanta tui.
Quid loquar ulterius? ueræ es uirtutis alūnus:
Et fidei custos: & probitatis honos.

Ad. M. Antonium Sabellicum
eloquentissimum.

TRistis & incertus tota uagor anxius urbe:
Fletibus assiduis associatus inops.
Luce quies etenim fessis non artubus ulla:
Non sopor & menti nocte silente uenit.
Discrucior nimium: penitusq; incumbo dolori:
Ante diem properant aspera fata mihi.

Nuper eram faustos inter numeratus amicos:
Heu miser aduersa conditione premor.
Sic fortuna uices: sic uersat gaudia fatum
Omnia: perpetuum nil ualet esse diu.
Hinc reges: magniq; duces: & summa petentes
Non semper læto tempore regna tenent.
Nauita securis semper nec labitur undis:
Nec semper pascens imbribus incutitur.
Tempora mutantur: mortalia fata uolutant:
Nunc patior: spero prosperitate frui.
Dum modo succurras ueræ uirtutis alūne:
Qui mihi pro Phæbo solus adesse potes.

Ad Raphaelem iuuenem illustrem.

AD uada lethei reuocans Cyllenius umbras
(Credere si dignū) superas deducit ad auras.
Hinc tua cælesti tandem se corpore miscet
Vmbra leuis: toto qua non felicior orbe.
Altera perstat ouans: similis nec gloria ponto
Littore nec sicco (soli mihi crede) reperta est.
Nec miror: placido quem præfers ore decorem
Doctus hylas celeres humero gestare sagittas
Cesserat: Alcides totum dum peruolat orbem
Ipse miser lachrymans puerum quærebat amatum:
Quem tulerat secum uas fictile: corporis artus
Vnda tenet liquidos: placidam tibi præbuit umbrā.

De Lupo.

HIc est ille sua notus feritate Lycaon:
Qui multos rapido perdidit ore uiros.
Ausus quinetiam portas intrare: domosq;:
Sed cecidit iuuenum belua dira manu.

In quibus armipotens Marcus fera uulnera primus
Intulit: is primum rettulit inde decus.
Ite igitur quocunq; libet per rura per agros:
Vicimus, hen prisco more trophea patent.

Distichon Ad Benedictum per
Marinum sacer:

DIffugiunt subito menses: labuntur & anni:
Præcipiti cursu temporis orta cadunt.

Distichon Ad Octauianũ Patritiũ.

NOn reduci parcæ ducunt sua stamina fuso:
Prætereunt nulli quem uoluere diem.

Distichon ad Achatem socium.

ESt opus argento: per grandi munere & auro:
Si tibi uis tota seruiat arte Venus.

Ad Franciscum illustrem.

COnducis Frãcisce domũ: Venus altera subter
Hanc colit: irradians lumine cuncta suo.
Desuper efferuet radiis uallatus Apollo:
Quis tantos radios undiq; ferre potest?
Ergo consilium si uis: aut hos fuge soles:
Aut hanc si maneas ad tua uota roga.

Pro Scarabo interempto.

CVm male sanus erit: q̃ me dedit esse pẽptũ:
Pro meritis pilulæ sint medicina meæ.

Ad Poliphonum quẽdam.

ILla Lycaoniæ ueteris fex improba gentis
Perfurit irato subiicienda Ioui.
Sæcula terrigenum rediere: superbia regnat:
Illius ante pedes musa reuincta iacet.

Gens ignara suis pro uiribus imperat: arcet
Et niueæ quicquid simplicitatis habet.
Qua re si sapimus seruemus tecta: nemusqꝫ:
Pergat & in lucem quilibet ære potens.

In laudem. M. Antonii Sabellici eloquentissimi.

HVc iuuenes ꝓperate graues: sanctiqꝫ senatus
Docta manus: ꝓperēt pignora clara patrū.
Sacra cohors ueniat celeri non anxia gressu:
Et qui longinqua iam regione uenit.
Marcus adest: claria quem singula uoce loquentem
Quisqꝫ ad Pieridas semper habere potest.
Visere qui potuit Phæbo duce templa dearum:
Atqꝫ Caballini sumere fontis aquam.
Huc igitur festinet iter quicunqꝫ liquorem
Optat: & æterna cingere fronde comam.

Ad Bartholomeū uenerabilem sacerdotem.

PErpetuo uiridem seruat phæbea colorem
Daphne: nec longo uincitur illa die.
Sic utriusqꝫ tibi laudes & gloria linguæ:
Famaqꝫ sub celebri nomine semper erit.
Sic quoqꝫ pro meritis uero deuinctus amore
Obsequar optatis Bartholomee tuis.

Distichon de Calliopea.

ME miserū quid agam furiata est nuper amica:
Quod paulo ante fuit nō mihi uisa domus.

Distichon Ad Achatem.

DIcitꝰ anguis aqua: coluber maculosus ī umbra:
In terra serpens: & draco templa colit.

Ad liberalem Thomasium Venetum phisicũ.

PActoli aut hermi mallem tibi munera ferre:
Fluminis auriferi dona superba Tagi.
Aut in heritrea quod semper nascitur unda:
Gemmaꝝ aut aliquid quod ruber hortus habet.
Te nimium uirtus locupletem fecit Amice:
Indigeas opibus quo nihil ipse meis.
Accipias ergo nostræ monumenta Thaliæ:
Quæ superant cunctas diuitis orbis opes.

Ad Ioannem Nicolaum Maiorem.

CHare puer puero longe formosior Athi
Fac uirtus formæ sit comes oro tuæ.
Clara & perpetua hæc uiuit post funera uirtus:
Illa tamen fragilis forma caduca fluit.

Distichon ad Landinum suauem.

BElla cupidineis quondã mihi mota pharetris
Cessarunt:animũ nunc habet alma quies.

Ad Reuerendissimũ Protonotariũ Hieronymum Iustinianum.

SOrani memor ut tui clientis
Sis:supplex: humilis rogat misellus.

Ad Antoniũ Mancinellũ litteratissimũ.

OI Decus ægregiũ moderator summe Latinæ
Linguæ:quo saluo barbara turba perit.
Differ mœonias:quas uincis carmine:uires:
Et genio reliquos sponte remitte dies:
Certemus Baccho plenos haurire trientes:
Et numeret ciatos dulcis amica tuos.
Hos Libitina dies nigro non sæua lapillo
Scribet:non auidi combibet ira rogi.

In laudē Callimachi siculi poetæ amicissimi.

HOrridus herbiferis uates in uallibus Ascræ
Callimachus nullo tempore pauit oues.
Non est Thespiadum deductus ad antra sopore:
Vt mox epoto flumine metra canat.
Hunc docuit Pallas: sacro doctusq; sub antro
Intonat aonio carmine Callimachus.
Hunc tu Guide foue diuum Dux inclyte uatem
Vrbinas: felix qui tibi fecit opus.

Ad Amicam Calliopeam.

VRor: & assiduis ardent mea pectora flammis:
Et mentem lacerat pallida cura meam.
Hei mihi languenti nullam gerit herba salutem:
Extremum uideo iam properare diem.
Sola igitur misero poteris mihi ferre petitum
Auxilium: poteris tu mihi ferre necem.

Distichon ad Iacobum Anconitanum.

SOla tenet solidum tritonia Pallas honorem:
Diuitiæ fugiunt cum pietate decus.

In laudem sancti Augustini.

CHristicolis est una fides: hæc pādit olympum
Omnibus: hæc propriæ sola salutis iter.
Hanc coluit: firmoq; fidem complexus amore
Augustinus habet relligionis onus.
Qui sensus aperit: passim qui enygmata soluit:
Porrigit ad superum regna beata manus.
Hæc dixisse satis: sed qua modo laude sequemur:
Qui nostri decus est ordinis eximium?
Dicitur obscuros hic Albertutius omnes
Dissoluisse locos dignus honore coli.

Dignus & extolli modicis non laudibus: ore
Sed clario: cesset nostra Thalia loqui.

Distichon Ad Arduinum.

Est ingrata Venus tristis quem uexat egestas:
Et qui compositum non bene corpus habet.

Distichon Ad Marcum. S.

ASpice præbentes pro munere crura puellas:
Vbera sunt quaeq; candidiora niue.

Ad Franciscum socium:

QVid Frācisce doles stomacho fortasse repleto?
An uacuo? forsan an cupis Andromachen?
Est audita mihi magni modo fama doloris:
Qui lacerat totum corpus: & ingenium.
Ergo consilium si uis: fuge mæsta: dolorem
Perfer: & obdura: nil meliora pati.

Ad Hieronymū tinctū iuuenē præstantē.

SVnt qui diuitiis: & re℞ nomine capti:
Et qui compositi corporis arte tument.
Ardor inest fallax: penitusq; aduersus honori:
Diuitiis: formæ gloria falsa uenit.
Sed te sola fides pretioso dignior auro:
Veraq; præcipue lux probitatis habet.
Certe es Romulidum deductus sanguine: nam te
Semper & Attilium: Fabritiumq; geris.

Ad Paulum Cincium Ro. socium.

SI dederim sensus: animā cum corpore: tandem
Plus ego non possum contribuisse tibi.

Ad Io. Franciscum fontanam.

ES Francisce mihi magni fontana fauoris:
Verus & auxilii; consiliiq; liquor.

Es mihi Aristides iustus; mihi fidus & æquus:
Es mihi quem coluit Actius ex animo.
Ennius æterno uel quem celebrauit honore:
Vel qui præsigni munere nouit opus.
Ad te igitur Francisce tuis fontana decori
Confugio tota: qua decet esse: fide.

Ad Regem pro quodam legato.

O Ebueras nummos misisti uerba: quid ultra
Nũc erit: unde iterꝝ spes: mora: uerba: nihil
Bina hodie inuentos abeunt: & fluxit utrũq;
In cassum: & fidei ius perit omne datæ.
Deceptus toties fateor nil credere: nũmos
Cum dederis credam: sed nihil ante datos.
Orator ueni non profuit: ecce poetam
Nunc ago: ut experiar an sit id utilius.

Distichon ad Bernardinum phisicum.

F Ebris in extremis male me bis terruit horis:
Euasi horridulam terq; quaterq; necem.

Distichon ad Lucium militem.

M Axima consiliis q̃ armis fera bella geruntur:
Illa quidem faciunt iussa: sed ista iubent

Ad Turbam ingratam pro. M. An. Sabellico.

T Vrba grauis nimiũ petulans: uulgusq; ꝓfanũ
Sanguineis telis in tua facta ferar.
Et male facta quidem quando sine crimine uatem
Audes indignis contemerare modis.
Q nid mæruit Marcus: cui detrahis: & tua uirus
Vt Coluber dirus perfida lingua iacit.
Nunquid doctrina uacuus: num negligit: & se
Subtrahit officio: muneribusq; bonis.

Ille est eloquii decus immortale Latini:
Et dici ex grais actica musa potest.
Ille & hanelanti dum narrat pectore feruet:
Vndiq; & exterius: interiusq; calet.
Quis melius uatum sensus: & singula queq;
Enucleat: cunctos utiliusq; docet?
Et cui maior inest uariarum copia rerum:
Siue uelit prosa dicere: siue pede.
Diligit ille bonos; doctos ueneratur & omnis:
Nunc salibus recreat: nunc pietate fouet.
At tu uulgus iners meritis pro talibus illum
Exagitas; laceras: opprimis atq; uoras.
Perdere te non uult: q̄uis Acherontis ad undas
Ire pares factis improba turba tuis.
Attamen expecta triphidum Iouis æthere fulmen:
Quod caput infelix: & tua membra petet;
Expecta & Phæbi culpæ: scelerumq; sagittas
Vltrices uates protegit ille suos.

Carmina in nuptiis.

HVnc neuere diem uoluentes fila sorores
Candida: qua nitidis astra fugantur equis.
Tristia nunc herebi fundo occultentur in imo:
Nec uox ulla sonet: quæ nisi fausta canat:
Linquite uos mensas iuuenes: castæq; puellæ:
Quarum legitimus pectora tangit amor.
Inq; uicem placidis iuuet indulgere choreis:
Et canere o Io hymen huc Hymenee ueni.
Post modo quū radios tandem sibi panderit hesper:
Vtetur chara coniuge lætus amans.

Ad Amicam fallacem Calliopeam.

O Raui dominam ne ſpernere uellet amantem:
Vt mecum uerba uellet habere ſemel.
Annuit hæc ſemper: ſed tunc ſe poſſe negatur:
Cras uenias: redeo: cras redeasq; refert.

Ad Amicam ſæuam Calliopeam.

C Armine cæleſtes flectuntur: carmine manes:
Flectitur æquoreus carmine ſæpe deus.
Me miſerum nequeunt diram deflectere mentem:
Immanem nequeunt conciliare animum.
Es nata ex ſcopulis: nutrita es lacte ferino:
Effera te genuit tygris: & anguis atrox.
Te non humani fœtarunt impia partus:
Es Diomedeis perfida nata feris.
Sed poſtq̃ noſtris precibus non flecteris ullis:
Nec dolor immenſus: nec mouet ignis edax.
Iamq; uale: & reliquis: quo℞ tibi magna caterua eſt:
Obſequere: & poſitis cruribus affer opem.

Ad Fratrem Iacobum Aurelianum Rauennatem.

M Vnera nunc uultu: q̃uis ſint parua: benigno
Accipe: ſunt animi grandia dona mei.

Diſtichon pro Marcellino milite.

M E quia cuſtodem portarum curia fecit:
Hoſtibus inuitis ſtertere tuta poteſt.

Ad Amicam Calliopeam.

S Vnt qui immunditiis capiantur: atq; decore:
Me miſerum capior clunibus ipſe tuis.
Q uum tenui ſub ueſte natant: tremulæq; uidentur:
Tunc etiam ſurgens mentula noſtra tremit.

In Duos Maleuolos & Poliphonos.

QVis mihi terribilis præcordia conterit horror?
Intrepidumq; metus subtrahit ingenium?
Non tristem subeunt Mauortia tempora mentem:
Non mea sollicitat pectora cæcus Amor.
At duo discruciant: quos nunc furor excitat altus:
Pestifera corpus calliditate meum.
Immerito mihi tela mouent peracuta querenti:
Verbaq; composito gutture falsa canunt.
Aspicite o superi: siqua est clementia: tantũ
Crimen: ut a Larlæ numine tutus eam.
Sed tu docta cohors Venetorum clara Propago
Comprime siqua nocent: comprime tela precor.

Pro Fratre Francisco Maceratensi.

INdignum haud nostri quondã duxere priores:
Quos celebris fortuna sinit: meritoq; perẽnes
Reddit: & æterno re℞ sub nomine claros:
Visere qui fama minor: & cui plura loquenti
Auribus attentis: tetrica nec fronte fauere.
Non ego ficta sequor: nullisq; obducta tenebris
In medinm refero: tenui repetita calore
Nec tamen ignoro: pauci quibus aurea nostro
Tempore uena datur: nitido sint omnia uersu.
Rara uiget nec non facundia: raraq; fandi
Gratia: præcelso quæ fluxerit æthere donum.
Omnia sint nullo quãuis condita decoro
Carmina nostra: tamen uestras his leniter aures:
Leniter & uultum præbebis candide Cœtus.
Non ne disertus adest Cicero? cui sæcula diuo
Nulla dabunt similem: tanta uirtute superbit.

Sæpius excussis defesso pectore curis
Empho tibi indigna nūq̄ tamen astitit aure.
Scipio prædulci uatem complexus amore
Semper & assensu miti: uultuq; benigno
Audierat: uis tanta fuit uirtutis honori:
Quem licet absumptum spectasset morte poetam:
Non tamen herbifera diuum tellure iacere
Passus: ut excelso decorentur membra sepulchro.
Quid referam innumeros: rex fortuna potentes
Quos aluit: rexitq; diu: quin Cneus amicam
Præstitit alloquio præmissis fascibus aurem.
Non secus eximiæ narrantem uoce sophiæ
Audistis laudes fratrum decus: una minorum
Gloria: qui summi passim diuina Tonantis
Dogmata Christicolæ perfunditis undiq; genti.
Desinet ergo prius fragili mihi gutture lingua:
Quā finem inculto gracilis modulamine musæ
Laudibus imponam. At nunc persoluere grates
Cogimur innumeras uobis: licet ore loquenti
Vox mihi deficeret. Sed quæ non possumus ipsi:
Det tibi clara cohors superum Rex ille deorum.

Distichon Ad Paulum Cincium Romanū.

PRima uacat studiis: mox altera luditur hora:
Quæ super est: totam Calliopea rapit.

Ad Reuerendissimū Gubernatorē agri piceni.

O Decus æternum: rectorum Maxime Rector
Sceptra tenens: ueterum gloria Romulidum.
Vt tua concordes felici stamine parcæ
Fata trahant cunctis prosperiora deis:
Annue Pieridum præclaro pectore turbæ:

Et dextram miseris porrige quæso tuam.
Deniq; si facies: ullo sine pondere laudes
Describet cunctas Itala musa tuas.

In laudem Fani.

PLaudite Primates generosi plaudite ciues:
Plaudite cultorum cætera turba precor.
Hic Astrea manet sceleratæ asperrima genti:
Attamen insonti semper amica dea est.
Musarumq; chorus: colit hic uallatus Apollo:
Huc celeri ingressa est culta Minerua pede.
Casta Diana: deum semper quæ spreuit amorem:
Hic habitat nymphis associata suis.
Quin Cytherea libens magno demissa Tonante
Incolit irradians lumine cuncta suo.
Horridus ille deus uariis circundatus armis
Hic est: qui terret corda superba suis.
Hic uoluit fortuna coli: quæ maxima condit:
Destruit hæc eadem: perpetuoq; regit.
Ergo agite o | ciues superis persoluite grates:
Hostibus inuitis stertere quisq; potest.

Ad Io. Franciscum fontana.

HOrrida lethifero nimium confisa calori
Febris abi claria discutienda manu.
Perdere temptasti siccis mala faucibus artus
Illius: ingenua qui probitate uiget.
Effuge prædulci patriæ uicturus amore
Ille est: insigni dignus honore coli.
Ille deis: magnoq; duci: Primoribus urbis
Gratus adest: Venetis omnibus unus amor.

Ille suis proprium nec ficta mente propinquis
Auxilium præstat: præsidiumq; bonis.
Et miseros pietate fouet: sacraq; deorum
Templa colit nūq̄ dissimulanda fide.
Omnibus & doctis uera est fontana poetis:
Quos alit enitida q̄ bene fontis aqua.
Charior est oculis natæ pater optimus: & quæ
Charior est omni filia digna patri.
Magnus amor genero: castisq; sororibus: alta
Corde quies natæ pignoribusq; suæ.
Non fragilis fortuna uiro claroq; Ioanni:
Præstat hic ingenio: nec minus arte nepos.
Et studium Thalamo constans: & firma pudico
Fulget ab excelso pectore: & alma fides.
Quid loquar ulterius? felix fontana Ioannes
Franciscus uiuat: portus & aura suis.

Distichon ad Hieronymū Senensem sacer:

QVisquis plura tenet minus ille tenere putabit:
Plura tenere putat: qui minus ille tenet.

Tetrastichon ad Calliopeam.

MElla prius fierent: quæ sunt contraria dulci:
Duraq; spectares mollia saxa prius.
Quam tua de nostro labatur corde figura:
Quam mihi deficiat nomen in ore tuum.

In Rithmos.

CArmina carminib9: uos his quoq; cedite uates:
Hæc generāt plausus: placāt hæc corda potētū
Alliciunt hæc munera: famam ad sydera tollunt.
Veh sibi Phæbe pater Musarū magne dearum:
Qui tua sollicitus fuerat iam castra secutus.

Ad Paulum Cincium Romanũ.

IVppiter parcat tibi: cui mouetur
Omne quod cælo tegitur sereno.
Cui potest Orcho reuocari abimo
Spiritus omnis.
Cur locas altis tumulis Camœnã?
Quæ modo est curis agitata magnis
Barbithon quæ iam posuit Sonoram
Munera Phæbi.
Me uides cunctos superare uates:
Quem choro Clio pepulit sororum:
Tempora & pulla neget ipsa cuius
Cingere Myrtho.
Tu Chelim pulsas meliore plectro:
Et canit dulcis tua Musa melos
Quæ fuit quondam satiata sacro
Fonte Caballi.

Ad Landinum socium.

VIdi barbatum Cynicum mansueta iuuenci
Terga sedere super uictũ sibi uoce petentem:
Ora cohercentem frenis: calcaribus armos.
Cyllaron ut posses; similem Flegetonta putare.
Raptorem Europes credas uidisse Tonantem
Exilium miseri dictea per æquora campi.

: Distichon Ad Amicam Calliopeam.

Nunc mihi sũma qes animo est: nũc sũma uoluptas;
Cum fruor aspectu Calliopea tuo.

Ad Amicam depictam.

QVo fruor aspectu? possem si tangere uellem:
Quid tum? Nã facies picta: colorq; patet.

Ad Rusticum quędam.

Dii te summoueant cunctis o / Rustice terris:
Errantem pellat Rustice quisq; locus.
Cur mihi tam toruos offers cum lumine uultus:
Cur tantus liuor perstat in ore tuo.

Distichon de Fæmella Sorana.

Viscera tuta lauans muliercula flumine Lyris:
Detecta est miluo proh dolor alba caput.

Arx Senogalliæ loquitur.

INgenium: uires: artes atq; arma: dolosq;
Despicio: bellum quod mare: terra gerit.
Hinc illinc uideor uariis circũdata ab armis
Nil timeo: domino sum bene fida meo.

Distichon ad Hieronymũ Senensem sacer:

FOrte renascentes morbo torquente capilli
Demonstrant tonsum iamq; fuisse caput.

Ad Amicam Calliopeam

VEni: nunc redeo: toties hoc ire redire
Lassauit mentem: corq; / manusq; pedes.

Ad Magnificum Malatestam.

DIligo si semper non te Malatesta: tuosq;:
Non Deus Omnipotẽs diligat hãc animã.
Optarem si non teneros tibi redderet annos
Delius ille tibi: deneget ille meos.
Nec non si nollem Iuno tibi regna pararet:
Me faciat miserum quærere semper opes.
Si quoq; non uellem Pallas te munere diuo
Ornaret: nostrum pectus inane uelit.
Et Venns ornatu faceret te blanda superbum:
Sphinx uidear cunctis: centimanusue Giges.

De Mortua Amica cuiusdam.

DVlcis Amor piit mea spes: mea sola uoluptas:
Vna salus uitæ: sollatiumq; meæ.
Me miserum quid agam: uoluit sic Iuppiter ille:
Vt cadat ante diem Cynthia chara suum.

Epi:

CLara Salernatis Constantia Principis uxor
Hic est: quem pulsum Gallia maior habet.
Vrbinas Federicus Dux: Baptista benigni:
Feltrius hic genitor: Sfortia mater erat.

Epi:

ILla Salernatis Constantia Feltria coniunx
Principis: hic ego sum mœsta relicta meis.
Immatura peri: nostris sed fata benigna
Pensa trahant niueo uellere longa precor.

Ad Socios Paulum Cincium & Harmonium.

EIa agite o | socii cantemus carmina: musæ
Hic sunt: hic Phæbus carmina læta canit.
Labitur hic dulci cum murmure riuus: ubiq;
Prata uirent: cantus dat Philomena suos.
Hic currunt lepores: nudi per gramina Cerui
Hic fugiunt: hic est innocuusq; Leo.
Carmina quisq; canat: qui nunc non carmina cantat:
Iam fugiat Clario prata dicata deo.

Ad Callimachum Siculum poetam.

OSsa tibi dantur sine tegmine plurima seruo:
Non tibi: sed catulis conuenit iste cibus.
Mittite seu lepores: seu pullos mittite uati:
Mensa hæc Callimacho: conuenit illa cani.

Ad Triphonem Bizantium sacer:

SIc ego te: Pylades ueluti dilexit Orestem:
Sum Pylades: at tu sis Agamennonides.

Ad. P. Nardinum Maniacum Poetam Insignem.

OPtarem liquidas gustasse Aganippidos undas:
Musarumq; choros conciliasse mihi.
Optarem Daphnem nostro admouisse labello:
Iusufamq; animam dulcis Homere tuam.
Quo possem meritis uestros extollere cantus
Carminibus: tanta dignaq; laude loqui.
Smyrna silere potes; sileas quoq; Mantua: maius
Nescio quid uestris uatibus exoritur.
Tersius hic condet miserandæ prælia Troiæ:
Castraq; Gallo℞: Romulidumq; manus.
Tuq; superba nimis deponas Corduba fastus:
Cedat & Anneus: tuq; Lucane tace.
Amphitrioniadem melius: mensamq; Thiestis:
Et ciuile nephas: Hyppolitumq; canet.

Ad. M. Antonium Fascolum.

EST pulchrũ uixisse diu: seruasse pudorem:
Omnibus officiis at coluisse deos.
Quid melius q̃ cana fides: q̃ uita decoro
Dedita: Cœlicolis candida corda placent.
Mors incerta gradu longo post terga parato
Agmine: terribili falce cruenta uenit.
Omnia: quæ studio: magnis quæ parta periclis:
Nostra putamus opes: & pretiosa: cadunt.

Distichon ad Bernardinum Vrci. disci:

I Mpleat ut Bacchus uestris in collibus uuas:
Has date primitias munera digna deo.

Ad Roncum ineptum quẽdam.

S Implex: Rõcus adest: temerari9: ebri9 audax:
Ad sonitum doctus nempe mouere pedes.
Ronce tibi pompa est: & gloria magna paratur:
Luce siles: tota nocte miselle canis.

Ad Guidum Guidolo ctum
Vrbinatem.

O Ccultũ seruare potest male quisq; calorem:
Aut odium ficto nec bene corde latet.
Pectore uel tussis tristi male clauditur ægra:
Qui sapit: insano q̃ male uerba damus.

Distichon ad Io. Franciscum.

I Mprobulus quidã solet hic mordere peritos:
Hosce salutifera seruat Apollo manu.

Distichon.

H Ic periit falso miserabile corpus amore:
Dulce fuit fatum: q̃ sibi uita magis.

Ad Magnificũ Melchiorrẽ de Emiliis Patritiũ
Romanum equitem illustrem.

N Vnc tremula fas est æstus uitare sub umbra
Arboris: ad gelidæ q̃ leue murmur aquæ.
Flauaq; Cyrnei superent chrisendeta mulli:
Altilis immodicas seu tegat ulla dapes.
Et petat Iliaco similis puer inde ministro
Consita setinis optima uina iugis.
Cui tenuis rutilos crines rosa sutilis arctet:
Dum niuea miscet pocula fusca manu.

Quæ licet efficiant alii: tamen ipse recusas:
Et uetus assueto puluere sudat equus.
Iura breuiq; refers sua cuiq; precamine nullo
O decus o placidæ pacis Amica quies.

Ad Sabam iuuenem Patritiũ Romanũ.

SEcurus uuas pascensq; sub arbore turdus:
Proh dolor a rapido tollitur accipitre.
Extemplo ueniens Falco furibundus ab alto
Hos miseros auido comprimit ore duos.

Ad Maledicum.

QVisquis es incomptos (fandi si tanta Cupido)
Corrige uersiculos: & doctos semp honora.
At tibi si rabies solitis ceruicibus instat:
Dii te summoueant: & lapso fulmine perdant.

Finis.

PRIMI LIBELLI EPI-
GRAMMATON
DOMICI PAL-
LADII SO-
RANI.

SECVNDVS LIBELLVS EPI/GRAMMATON DOMICI PALLADII SORANI.

Ad Reuerendissimum Archiepi/scopum Cyprium Sebastianũ Priolum.

I Liber & genio : feliciq; omine Cyprum:
Ante pedes nostri Præsulis esse uelis.
Quãuis nõ unq̃ fuerit mihi uisus: Amœno
Excipiet gremio protinus ille suo.
Illius & tristes Domini procul excute curas:
Excute siqua grauant associate iocis.
Dicito me seruum supplex: precibusq; rogato
Ne renuat Fidum: sed uelit esse suum.

Ad eundem.



DII DENT longa tibi Præsul Ce/leberrime semper
Tẽpora: qui Priolæ decus es: noua gloria gentis:
Cardineo uenerãde choro: cui Ro/ma triumphum
Sponte dabit propriæ damnisq; emersa ruinæ
Gaudebit: nomenq; tuum super astra locabit.
Tum mare quicqd habet: quicquid latissimus orbis
Continet in gremio patria uirtute fouebis.
Te tunc ex omni placidi regione benignis
Sensibus ornabunt Reges: populiq; ducesq;.
Tunc genus omne canet: cum tu Dyademate sacro
In Vaticana consides splendidus arce.

Ad Reuerendissimum Protonotarium
Hieronymum Iustinianum.

SAlue nobilium decus parentum:
Ingens eloquio:decore præstans:
Virtute:ingenio:fide refulgens:
Iam constat Ciceronis illud esse:
Quod multi soliti negare passim.
Quare iam poterit benigniori
Vultu conspicier:libentiusq́.

In laudē Magnifici ac Generosissimi Iacobi
Cōtareni Equitis Illustris & Philosophi.

COntarena domus felix uirtutis alumno
Te:decus o patriæ gloria rara tuæ.
Cum loqueris grauitate uiges Iacobe Catonis:
Miraq́ de uestro gutture uerba fluunt.
Hinc illustris Eques diuis celebrande Camœnis
Factus:& orator summus in hesperiam.
Tu sapiens:uenerandus honos:magnusq́ senator:
Pectore consedit docta Minerua tuo.
Tuq́ potens auro:gemmis tu diues:& omni:
Quod beat excælsa conditione patres.
Quid tibi plura loquar? superas uirtute Metellum:
Eloquio catulos:Attiliumq́ fide.

Ad Reuerendum Antistitē Nicolaum Rubeū.

OPtarem aonii tetigisse cacumina montis:
Thespiadumq́ mihi conciliasse choros.
Optarem Daphnen nostro admouisse labello:
Andiniq́ animam contribuisse Iouem.
Præsulis ut possem Nicolai extollere nomen
Carminibus rubei:dignaq́ laude loqui.

Pectore cum teneat fontem grauitatis & æqui:
Atq; animo uigeat relligionis amor.
Moribus ac possit clarum superare Catonem:
Eloquio catulos: Attiliumq; fide.
Et cum Marcellum superet pietate benignum:
Cymonem præstet deniq; muneribus.
Est decus: est idem patriæ spes unica: lumen:
Hospitium doctis: auxiliumq; bonis.
Ergo docta cohors: tuq; o studiosa iuuentus
Laudibus innumeris hunc celebrato uirum.

In laudem Georgii Vallæ Placentini
excellentissimi.

ACtica nũc cedãt: uel dogmata Prisca quiritũ:
Illustras meritis sæcula nostra tuis.
Hæc ætas renitet per te meliore metallo:
Tanta tui uirtus: ingeniiq; uigor.
Ad te Pierides properant: tibi limina pandunt
Septeni studii turba sonora deæ.
Ad te igitur festinat iter Cyllenius ales:
Te uelut in terris numina sacra colat.
Es Venetæ non parua togæ tu gloria Valla:
Palladis intactæ: uerus & orbis honos.

Epitha: Magnifici ac Generosissimi
Bernardi Prioli Patritii
Veneti.

SAnguine clarus eram: & natis: & cõiuge felix:
Nobilis & patria: gratus & officiis.
Littore ab Aegypti gemmarũ diues: & auri:
Dum redeo insani me rapit unda maris.

Pone modum uotis peregrina ad littora tendens:
Perfringet curas nam breuis hora tuas.
Ventorum flatus non omnes Nauita callet:
Bernardi exemplo discere: disce potes.

De pietate Claræ Generosissimæ Vxoris
in eundem.

CLara Virum postquã sensit periisse sub undis:
Sit uitæ ut finis præparat unda suæ.
Nam proprios uocitat charissima pignora natos:
Protinus & collo dulce pependit onus.
Bracchia cõstringens prægrandis margine riui
Cum natis Vir ait te tua Clara petit.
Moxq; cadit preceps: retinet sed serua cadentem.
Funera nam renuit flere tot una dies.
Viue Fides constans: & ueri testis Amoris:
Nam cedit famæ Portia sponte tuæ.

Ad Lodouicum Odoxium Facun/
dissimum Patauinum.

IVppiter Horrisonis semper nõ æthera nimbis
Cõcutit: haud semper Phæbus adesse solet.
Non liquidis semper feruet Neptũnus in undis:
Nec semper Martis dextra cruenta ferit.
Sic uariat fortuna uices: modo tollit in altum:
Et modo complexos imperiosa premit.
Desperare nephas: standum est uirtutibus: ergo
Te Duce speramus candidiora sequi.

Ad. M. Ant. Sabellicum
eloquentissimũ.

MVltoꝶ facies memini uidisse uiroꝶ:
At similis nulla est huic mihi uisa tuæ.

Quam Dis quærentem rapuit de flore maniplum
Formauit statuam corporis illa tui.
Qui superis Venerem detexit Marte cubantem
Affixit radios in tua membra suos.
Virgilio lesi memoratrix numinis: intra
Manantis uoluit nectare fontis aquam.
Illa poetarum quæ portat Musa tabellas
Ingenium campos duxit in Elysios.
Tam tua fama locum Parnasi uenit in alti:
Cuius enim pondus quassit utrumque iugum.

Ad Marium filium Sabellici.

MAgnus honor pperat patriæ flos unice nostræ:
In te nam fluxit docta camœna patris.
In te quin etiam propriæ præstantia formæ:
Ingenium: linguæ dexteritasque suæ.
Te docuisse dei natam ceruice Tonantis
Credimus: & Phæbum contribuisse lyram:
Fortunate puer Parnasum scandere montem
Iam potes: & uariis summa Tonare modis.
Intrasti uideo ualles Elyconis amœnas
Perge age ne timeas: neue ferare retro.
Serta parata uirent circum tua tempora lauri:
Quæ tibi Musarum turba sonora dabit.
Sic tua perpetuo fruitur domus alta decore:
Quum tibi quæ patri uera Corona datur.

Ad quēdam Superbum & Rudem.

NOuimus ingeniū: & quātū tua Musa calorē
Extulit elato Delphica tota pede.
Quare sollicito refugit compressa timore
Concursus uariis paruula nostra modis.



Ergo age uerbenam confecta sumito pace:
Charus es arte mihi: charior ingenio.

Ad Magnificum ac Generosum
Iacobum Sanutum Patritium
Venetum.

NIteris ignaram solidis celebrare Thaliam
Laudibus: haud cesses dignaq; laude loqui.
Non mea gorgoneis tinguntur tempora Lymphis:
Nec sunt perpetuo nomine digna coli.
Sed tua mœoniis semper domus alta Camœnis
Laudetur: nomen perpetuumq; decus.

Ad Angelum Patritium
Romanum.

INclyta nobilitat uirtus hoc tempore primũ:
Nil dubiũ post hanc Martis & arma: tenes.
Maxima quin etiam multaꝝ copia reꝝ:
Sæpe fauet summos scandere posse gradus.
Hæc tria te decorant: præbent tibi semper honorem:
Et faciunt omni tempore honorus eas.
Quid tibi postremũ tribuit natura benigno?
Vt superes omnis muneribusq; fide.

Ad Christ. Pierium.

ALtiloquum superas cantu: fidibusq; Maronẽ:
Naso tuis poterit cedere carminibus.
Tertia tu posses iterum deflectere regna:
Impius Euridicen nollet habere deus.
Iuppiter æquoreus placidas tibi traderet undas:
Corporeum Delphin sponte subiret onus.
Quid loquar ulterius? sileant ueteresq; nouiq;
Vates Pierio: plectra lyramq; ferant.

Ad liberalem Thomasium Venetum
Physicum.

Q·Alluit Hippocrates medicã doctissimus artẽ:
Praxagoras: ægri quæ uoluere: dedit.
Quin ualuit solidis Crisippus Apollinis armis:
Inter Chirurgos fertur Athenagoras.
Cedite uos Prisci Liberali cedite nostro:
Hic est cui tribuunt prospera cuncta dei.

Ad Nardinum Maniacum Poetam
Illustrem.

QVidi ego grãdisonis resonãtia carmina neruis:
Quæ sunt Aonii plena liquore lacus.
Ditior in terris nullus te: credo beatum
Te facit in multos culta Minerua uiros.
Non ego te Cyri Persarum munera Regis
Posco: sed ut crebros det tua Musa modos.
Non leporem leuibus currentem gressibus opto:
Sed tua Phæbea condita metra lyra.
Non turdos uariis illusos nexibus: oua
Parta nec in solito matre canente loco.
Mitte precor uiridi redolentia carmina lauro:
Hæc sunt diuitiæ nam tua dona meæ.

Ad Fratrem Bartholomeum
Theologum.

PArce queri quicunq; legis post fata renasci
Sors humana iubet Bartholomeus ait.
Soluitur in cinerem corpus: mens æthera lambit:
Vt queat æterna conditione frui.
Non moritur quisquis bene uixerit: ille perisse
Dicitur obsceno cui stetit ore sitis.

Ad Amicam superbam Calliopeam.

C Armina Sydereo tantũ cõmissa ministro
Non dubitent tacitis uerba referre modis:
Pontificem alloquimur: sacros Regesq: Ducesq:
Pontifices: Reges: Dux quoq; uerba refert.
Crudelis nimium cur dedignare Clienti
Quid nimium oranti pauca referre tuo?
Ha miserere mei tandem miserere doloris:
Dimidium cordis: dimidiumq; animæ.

Ad Calliopeam.

C Vr fugis heu nr̃os cordis spes maxima uultus:
Accipitrẽ ut uolucris: ut fugit agna lupũ.
An ne meam anguiferi faciem cinxere capilli?
Sphinx ne tibi uideor? centimanusue Giges?
Si bene conspicies non sunt mihi Gorgonis ora:
Tergeminiue canis: Semibouisq; uiri.
Ingentes superis habeo pro munere grates:
Integra q placuit tradere membra mihi.

Ad Calliopeam.

O Rbes: castra: nemus: torrentes flumina mõtes:
Aspera non glacies: assiduusq; labor.
Non potuere meos alio transferre dolores:
Tu mihi primus Amor: tu mihi finis eris.

Ad suauem socium Emilianum
de Innocentio Pontifice.

A Vrea Saturni redierunt secula prisci:
Omnia sedato murmure tuta manent
Pontifice aduentante nouo: Clementia cuius
Prælia deleuit: pax & ubiq; uiget.

Ad Laurentium Cingulum. Theatinum.

RIdus erat sæuos inter Cyllenius hostes
Oluates semper dux Venusine tibi.
Sum tibi coniunctos nimium miratus amicos:
Causa fuit genii gratia tanta tui.
Diceris & primus pariis comitatus Iambis
Ad manes celeri plectra tulisse gradu.
Ad superos Hermes imo reuocauit ab orcho:
Dis sibi ne tanto carmine iactet atrox.
Quãuis & uultu gracili mutatus ab illo:
Et titulo degas nominis orbe noui.
Cingulus ingenio:ueteri suffultus & arte
Tu canis:hoc ficto nomine cinctus eris.
Tu non esse potes modicis contentus amicis:
Tu properas lusus scribere:bella frugis.
Attamen hoc nihil est uiuis sine Rege priori:
Delius ille comes:blanda Venusq; uenit.

Ad Polydorum.

NOn lepus inttepidũ timido fugat ore Lyciscã:
Et gregis exitium non fugat agna lupum.
Non ursum catulus turpem:non Rana leonem:
Musca nec accipitrem paruula pelit auem.
Attamen hoc mirũ est:hoc est mihi credere dignum:
Quod Mus infirmo terreat ore uirum.

Ad.M.An.Man.

I Iuor abi nimium placidi populator amoris:
Effera præcipiti corruat ira pede.
Effluat hinc nutrix discordia uera malorũ:
Quæ nos:& superos:tartara quassat atrox.

Hinc ualeant fraudes: & tela & iurgia: rixe:
Pax quarum subeat Vir generose locum.
Optima quæ rerum ueluti ueneratur olympo
Denique sic nobis: quos liget una duos.

De duobus sacerdotibus.

HIc ego nobilium deuincor amore duorum:
Mollia qui Phœbi castra sequuntur ope.
Qui Iouis imperium subeunt: sua iura ministrant:
Non tamen effugiunt quas alit illa Venus.
Horrida ueh caueant Mauortis tela potentis:
In quæ nil cultæ Palladis arma iuuant.
Hæc igitur Veneris munuscula prima relinquant
Sorano: sacri numina sacra colant.

Ad me ipsum.

PRæscia mens tristis deuoluitur arce ruine:
Hinc animus magno murmure sentit onus.
Conscia uenturæ Cornix & nunctia sortis:
Viuidus a dextra coruus habebat iter.
Parthenope succurre igitur: præcordia cinge
Hellonidæ: Mauors non erit: unctus erit.

Ad Amicam Calliopeam.

DVm freta ueliferis scindentur puppibus: ossa
Pinifer a borea dum quatiere fero.
Nunquam sic nostro tolletur pectore diua
Calliopea salus: & mihi grata quies.

Ad Matheum Baptistæ suum fratrem cócordialissimum.

QVod scelus admisi cum me mala fata sequantur:
Ocia: nec misero: nec datur ulla quies.
Desinite & pietas moueat uos fata rogamus:
Desperare nephas: meque perire iuuat.

Distichon Ad Locutuleium.

IPse ego uir si sim poteris tunc ipse uidere:
Tractarim cum te ceu puer extiteris.

Corpus loquitur integrum repertum.

ME licet absumptū corpus spectetis & umbrā:
Et nihil extincto gutture posse loqui.
Spiritus hic habitat:uiuo quoq; clauditur artu:
Nostraq; in exiguo sanguine uena tepet.
Quid iuuat hæc igitur spoliato cortice membra
Inficere:& somnos ledere quidue iuuat:
Non ne satis fuerat uiolasse sepulchra:parentes
Quæ mihi cum luctu composuere graui.
Heæ mihi sunt uestes:has si mihi surripis:alter
Sic ueniat cineri crudior oro tuo.
Proh pudor hinc illinc iaceant cum mille ruinæ:
Huic poteras saxo parcere sæua manus.
Attamen hoc nihil est:dolor hic est triste:q; urbem
Quo quondam uisa est lumine non uideo.

Ad Clitundum Amicum.

FElix illa dies qua tu Clitunde paternos
Decresti omnino linquere uelle focos.
Romuleas peteres sedes:pueroscq; nuruscq;:
Numine te monitum credo fuisse deum.

Ad Academiam.

SIbila crebra sonant sero uenientibus apta:
Et strepitus multa garrulitate manus.
Cauillatores stultos bene carpere norunt:
Hic ubi nemo potest segnis habere locum.
Ridiculus fugiat:procul hinc quicunq; subire
Tecta:reuersurus non sine labe potest.

Ad Lydum Aulicum Pontificis.

ARdalidum doctos siquis gustare liquores
Optat: & æterna cingere fronde comam.
Ille mei celebret monumenta perennia Lydi:
Qui solus Latio dignus honore coli.
Septima uel taceat claro urbs quæ turget alũno:
Andinus uates: Musaqꝫ theia senis.
Pelignus naso: & tu Corduba gloria uatum
Cedas iiam Lydo turba canora meo.

Pro Helisio ad Camillum.

QVi tibi sum nulla inuisus ratione Camille:
Cuiqꝫ salutanti te dare terga soles.
Intextas patriis ficis en mitto corollas:
Plurima quas mira condiat arte rosa.
Et modo deuoti sapiant tibi munera serui:
Non inuisus erit: sed pius Helisius.

Ad Antoniũ Priscũ Roncilionis Poetã.

DVlcia iam recolo cantasti carmina uates.
Thespiadũ poteras quis superare choros:
Cura domus subiit: cura est aduersa poetis:
Credideram Phæbo te posuisse lyram.
Nunc uideo cunctos excellis carmine uates:
Atqꝫ deas: dum tu dulcia plectra moues.
Hoc potius nostras qui tollis ad æthera laudes
Et fama & lauri dignus honore uenis.

Ad Nobiles Ciues.

CEdite primates nulla hic reuerentia dignis:
Occupat irrumpens turba proterua locũ.
Et prius capitur laniis temerarius audax:
Quam uos astantes promeritiqꝫ uiri.

Ergo primitias capient fex improba gentis:
Reliquias clari nobilitate patres.

Diſtichon.

IMplicitus ſcripſi: reſcribis Craſſe ſolutus:
Craſſum corpus habes: Craſſius ingenium.

Diſtichon Ad Antonium Canalem.

Ingenuum iuuenem:

SOla poteſt hominem felicem reddere Virtus:
Cætera fortunæ præcipitanda patent.

Ad Ioannē Fortuniū iuris peritiſſimū.

DVm Phæbus radiis terras: dū lāpade luſtrat:
Dum radiat Phæbe nocte ſilente ſoror.
Dumq; meæ uitæ ſeruabunt fila ſorores:
Sum tibi: ſemper ero iunctus amicitia.

Nauis loquitur.

g Rande damus lucrū domino: ſi ꝓſpera uentos
Dat fortuna ſuos: ſin minus omne perit.
Vas mellis: felliſq; gero: parit æquore noſtri
Altera pars mortes: altera diuitias.

Diſtichon Scupa loquitur.

SEtigeri immundiq; ſuis ſum filia: credes
Excutio ſordes: quæ placuere patri.

Ad Achatem ſuum.

TEmpus auaritia & crines gula tuſſis & unges:
Viſus hebes: naſo ſtilla podagra rigor:
Ernia garrulitas capitis concuſſio gibbus:
Cum decreſcat homo: creſcere ſæpe ſolent.

Ad eundem.

SIquid carminibus mendoſum uideris iſtis
Parce precor: ponas ſiquid abeſſe uides.

Ad Generosum Adolescentẽ Hermolaum
Priolũ Patritiũ Venetũ suũ discipulũ.

HErmoleos puer est Generoso stemmate clarus
Indole præsigni præditus Hermoleos.
Hermoleos studiis cæpit feruescere nostris:
Ad laudis nomen surgit & Hermoleos.
Hermoleos cantus Phæbi dulcedine captus
Visere Pieridas sperat & Hermoleos.
Hermoleos tandem sociis uirtutibus ardet:
Dicetur patriæ lumen & Hermoleos.

Pro eodẽ ad Archiepiscopum Cyprium.

AT mihi prætumidis piit pater æquoris undis
Spe cecidi aduersa conditione puer.
Sed quia pro genitore mihi delectus amaris:
Spe fruor: & felix ut puer ante fui.

Pro eodem ad Venetiarꝫ Patriarcham.

SVm puer Hermoleos: quẽ tu pr̃ alme nepotem
Diligis: ut certa pignora digna fide.
Numina cœlicolum: uero qui trador amori:
Orabo: ut tribuant candida uota tibi.

Ad Conauditores.

SIcut oues montana petunt æstate propinqua:
Et gelidos fontes strymonis utqꝫ grues.
Sic & discipuli patriæ dulcedine capti:
Visendæqꝫ domus mœnia quisqꝫ sua.
Rursus Achademiam liquere penatibus urbis:
Rostraqꝫ belligeræ deseruere deæ.

Conqueritur.

AEra cur questu demens: cur sydera pulsas:
Cur gemis assidue dixerat ipsa Venus.

Tunc ego respondi præpingues misimus hædos:
Quos paui nimia sedulus arte meos.
Quos gremio foui: gremio rapuere rapaces
Delitias nostras horrida turba lupi.
Siste precor lachrymas pastor mihi Cypria dixit:
Tunc dea sic nati te ferit ira mei.
Sed tibi crede mihi meliora & plura dabuntur
Pascua: formoso fertiliora grege.
Est lucus qui campus iudæ nomine fertur
Hædos hic agnos hic tenet omne pecūs:
Hic poteris sæui dentalia figere dorsi:
Aruaq; mellifluis culta operire piris.

Ad Titum Liuiū Guidoloctū Vrbinatē.

QVi nutrire potest quēcunq; famelicus hyrus:
Et sitibundus aquas Tantalus ipse dare.
Vestiet eiectos ullos qui naufragus undis:
Non poterit quēq̄ nempe beare miser.
Oceanus det aquas: det flores etna nitentes:
Poma det Alcinous: uina Falernus ager.
Tradat Aristomachus tibi dulcia mella solensis:
Tasius Hyliscus cærea mella ferat.
Det Cato consilium: compendia Cæsar amicis:
Tradat opes Crassi diuitis arca potens.
Quem potero infelix tibi nūc præstare fauorem:
Nam me consilium: destituitq; fauor.
Quod potero faciam quod non prudentia nobis
Vera dabit ueniam dulcis Amice Vale.

Distichon ad Calliopeam.

QVod placet aspicio: sed cum nō tangere possim
Efficior constans hoc tolerare malum.

Distichon ad Calliopeam.

POst ubi nõ possum lingua dictare quod opto:
Coniicies sensu Calliopea tuo.

Ad Duos eiusdem familiæ scelestissimos:

ODomus infœlix magnis suffulta duobus
Criminibus: paruo tẽpore puluis eris.
Nam superum sensit Dominus quos pascis iniquos
Fulmine perdendos impia monstra suo.
Non quondam uixere tui sic impie partus:
Credite sub claudis pœna uenit pedibus.

Ad Hieronymum Leandrum
Galatheum.

MIror ut Hesperidũ nascantur poma ꝑ hortos:
Miror ut aurati uelleris esset ouis.
Spiret ut assiduum taurus pro flatibus ignem:
Atq; ex ære bouis miror inesse pedes.
Hoc magis horrendũ: magis hoc miremur: in uno est
Dexteritas linguæ: maior & ingenii.

In laudem cuiusdam ludi in domo Cornelia:

UT sua crudelis contorserat arma Cupido
In Phæbum: & subito pectore creuit amor.
Saucia plumbifero ueluti Pæneia telo
Spreuerat: & ueluti laurus amata riget
Exhibuit potiora quidem Domus alta tropheis
Regia: quam fuerant omnia ficta prius.

Ad Marinum Marini socium.

TOt cur & tantis nostrum tua Musa pusillum
Ingenium extollit laudibus immerito.
Cur tua me infantem tanti facit inclyta Virtus:
Quem fugiunt omni condita metra pede.

Non me Calliope: non cætera turba sororum.
Nolunt fatidici dulcia plectra dei.
Non uirides æderæ: Veneris non pallida myrtus:
Tempora non cinxit laurea Phœbe tua.
Non subito gustu liquidaꝝ fontis aquaꝝ
Castalii cecini grande Maronis opus.
Spiritus altiloqui non est infusus Homeri
Artubus in nostris ingeniose Comes.
Hæ mihi quid poterunt laudes prodesse misello.
Dedecus in nostrum nempe reduudat amor.
Sed tamen ingentes habeo pro munere grates:
Inualidus cum sim posse referre tibi.

Distichon ad Laurentium
Barbadicum.

CVncta tenet certe decorat quē plurima uirtus:
Qui trahitur uitio non erit ille suus.

In Sæum præceptorem Andream.

DEsine discipulos pauper uexare magister:
Quid fecere mali dic age si bonus es.
Tu quoniam blando nec enim genitore creatus
Id facias uereor cum ruit ira ferox.
Quid ferulis tenerasq; manus: & concutis ora?
Desine ne ueniat magna ruina tibi.

Conqueritur.

EXcipiunt alii messes: ego semina misi:
Spe cecidi: uanus deperiitq; labor.
Quam sitio moriens: alius lasciuit in unda:
Ima ego: summa alius inuidiosus habet.
Cæperunt alii uolucres: ego retia tendi:
Vix superest manibus pluma relicta meis.

In me læta suas fortuna exasperat iras:
Immeritumq; caput Rusticus urget amor.

Ad Calliopeam.

VT liber fierem tentaui mille labores
Seruitium exosus Calliopea tuum:
Marmore nãq; tibi duroq; Adamante rigescunt
Corda: ubi tela potens omnia frangat amor.
Verum quando alii cupio seruire puellæ:
Tum forma archetypa pulchra nitere soles.
Atq; ita dum cunctis ego te præpono puellis:
Vltima sunt primis uincula firma magis.

Ad Antonium Canalem iuuenem
Ingenuum.

NEreides pelago: nascuntur Naiades undis:
Arbore Hamadriades: p florea rura Napeæ:
In siluis Dryades: in montibns errat Oreas.

Ad Baptistam Pontium iuuenem
Ingenuum.

FAtales numero tres sunt: quæ nomine Parcæ:
Clotho prima: colum dextera cuius habet.
Producit digito Lachesis dea fila secunda:
Atropos at stamen tertia frangit atrox.

De discessu Calliopeæ.

INgemo: discrucior: penitusq; incumbo dolori:
Vt puer e manibus post ubi fugit auis.

Ad Lectorem.

MAter erat Francisca mihi: Baptista paterq;:
Sora mihi patria est: dicta Farina domus.

Ad Calliopeam.

ALlicit innumeras optata pecunia gentes:
Alliciunt ueſtes: munera rura: domus.
Hæc ego diffugio nil eſt mihi gratior aura
Calliopea tua: uitaq; morſq; mea eſt.

Ad Camillum amicum.

SEpe mihi ſubeas templo℞ limina dicis:
Vt tibi ſint faciles ad tua uota dei.
Non eſt quod credis: flectunt nec talia diuos:
Nec ſuperos demens iſta mouere putes.
Grata deo mens eſt: & conſcia pectora recti:
Hæc tribuunt nobis culte Camille polum:

Ad Tumidum quẽdam Cycutam.

NVnc hos nunc alios manu Cycuta
Libros perpetuo uehit per urbem:
Vt dicat populus peritus hic eſt.
Sed plenis manibus nihil libellis
Sapit cui uacuum caput cerebro.

Ad Ioãnem Baptiſtam Seſſa Mediolanenſem amiciſſimum.

TV cupis in cœlos reditum: famãq; perennem:
Ad uitam & recto ſint bona parta modo.
Niteris & blandæ Veneri nec deditus ulli
Ex animo fœdam pellere auaritiem.
Qua grauius natura poteſt: nil uilius unq̃:
Nec dare ſordidus: peſtiferumq; magis.
Haud dubites igitur cœli regione potiri:
Perpetuoq; tuum nomen in orbe coli.

Ad Baptiſtam Pontium Venetum
Iuuenem Eruditum.

HOc Problema mihi latebroſo ænigmate nexũ
Soluere ſi ſcieris premia digna feres.
Primitus an uolucres ouis: an primitus oua
Nata: uel ex ouis garrula conſtet auis.
Poſt hæc Anchiſæ genitricem dicito: quæ nam
Hæc mihi ſi poteris pandere uictor eris.

Diſtichon Ad Ioannem Franciſcum
Brixianum.

FAllimur: & cæcos ſic nos iubet ire uoluptas.
Sic nos infeſta tendimus arte Chelym.

Ad Iuris peritum nomine
Dulcem.

ASpera bella cadunt ſacris mox legibus: omne
Et ſcelus: & uerbis iurgia plena malis.
Viuere pace monent leges: & moribus æquis:
Et faciunt hominum cautius eſſe genus.
Sed referunt leges Dulcem te maxime doctor:
Interdum Dulci diſſimilemq; reis.

Ad Ruſticam turbam. M.

PEllite Pierides: doctos nec amate Poetas:
Carmina Grãmaticæ nilq; ſaporis habent.
Nec pariunt nummos: flectunt nec corda ſuperbum:
Exhilerant ſola poſteritate deæ:
Ite igitur iucunda feris per rura per agros
Et pecus & duros ducite turba boues.

Ad quẽdam Carpentarium.

IMprobe qui nr̃as contundis: & oſtrepis aures:
Opprimat artifices ſæua ruina manus.

Ad quędam Tumidum.

SEpius arguta recitas epigrammata fronte:
Teq; putas Flacco Virgilioq; parem.
Mentiris:uacuumq; caput symphonibus imples:
Nam modicos fastus uera Poesis amat.

Loquitur Nympha fontis.

HVius Nympha loci sacri custodia fontis
Dormio:dū placidæ sentio murmur aquæ.
Parce meum siquis tangis caua marmora somnum
Rumpere:siue bibas siue lauare:tace.

Ad Lumina.

SVmite iam placidū mea lumina sumite somnū:
Qui modo uos clamor excitet omnis abest.
Tuq; miser tanto stomache exagitate labore
Iamq; uale:acceptos digere mœste cibos.

Amica ad amantem Lydum.

LYde propinque mihi cunctis spectate diebus:
Lyde salus solus præsidiumq; meum.
Dulcia tu solus miseræ dabis oscula amanti:
Gaudia tu solus solus & ipse necem.

Ad Amicam Variam Calliopeam.

HEu doleo langore animus tristatur amaro:
Funditus horribilis corda dolorq; ferit.
Pectora discruciant longe tristantia curæ:
Mens mea terribili uoluitur ipsa cruce.
Quod modo sit facilis:modo sit mihi dura misello:
Quæ me flammifero lumine terret atrox.

Ad Magnificum ac Generosissimum
Andream Triuisanum Equitem
Insignem.

ON iucunda dies niueo signanda lapillo
Expectata diu uenit; qua possumus omnes
Reddere grata deis reditu pro sospite læti.
Non secus ac quondam uariis uexata periclis
Agmina nautarum gaudent redeuntia portu,
Victores ueluti Danei cum mœnia Troiæ
Funditus heu miseræ magno disiecta labore
Marte fauente deo spectabant ardua læti.
Aut uelut extincto numidarum robore magno
Viribus absumptis etiam Cartaginis altæ
Scipio præsigni pompa properabat in urbem:
Quid plures referam? lumen grauitatis & æqui
Hinc insignis eques: fax relligionis honosq;
Diceris: & celsa decoratus laude refulges.
Exultent igitur proceres: sanctusq; senatus:
Exultetq; tui frater pars altera cordis
Magnificus: multisq; tuis domus inclyta gestis
Triuisana sacras raptim festinet ad aras:
Et superis plausu meritos celebremus honores.

Ad diuum Franciscum.

QVi canit argiuum diuino prælia cantu:
Aeneadum infandos casus: belliq; labores
Carmine qui princeps uatum modulatur amœno.
Quiq; canit uersu ciuilia bella superbo:
Quiq; legit fastos & qui describit amores
Heroo mundi ortus in noua corpora formas
Mutatas etiam uates qui carmine narrat.

Quin etiam tersas lyricis qui cantibus odas
Aedidit:& mordax nec non qui carmen aquinas
Cessassent omnes grai:ueteresq; Latini
Nec potuisse reor laudes describere:gestus
Nec Francisce tuos passim sanctissime cunctos.
Quid nisi pauca canam? tremula me talia uoce
Dicere compellar:patres me audite loquentem
Candida turba precor:licet hæc incondita surgant.
O!decus æternum:cœli lux unica: mundi
Vnica spes miseris:fidei quoq; splendor & auctor.
Crimina nec poscit per te regnator olympi:
Per te etiam diuino omnes implemur amore.
Pacem mundus habet per te sanctissime:ueram
Quisq; fidem:atq; dei nomen ueneratur in orbe.
Fulcitur templumq; tuo Pater inclyte tergo.
Non hoc humanum est:cœlestia robora monstras:
Et precibus placare deum:quoq; pandere cœlum
Posse tuis:summi tanta est tibi gratia Christi.
Quis terris monstratur honos? quæ gloria cœlis?
Lætantur uolucres:plausu terrena mouentur:
Exhilarantq; tuo cœlestia nomine sacro.
Ergo mella prius fient contraria dulci:
Mollia dura prius fient & maxima parua.
Aut freta poma dabunt semper redolentia:flores
Pascua rura domos uiuentia cuncta fouebunt.
Et pisces quin terra feret:quã nauita prudens
Sulcabit:tumidos fluctus quæ concita tollet:
Desinat esse tuum q̃ nomen:gloria:laudes.
Non ego plura loquar:sileat mea parua Thalia
Quæ iam fama refert:quæ iam cantata per orbem:

Et uulgata diu miracula scripta: patentq;
Summa quidem narrare decet diuina Poetas:
Hæc mihi non licuit Patres sed parcite quæso.
Diuus Amor mihi causa fuit; non inclyta Virtus.

De superba Calliopea.

INgemite o socii nostros in amore dolores:
Calliopea nimis facta superba mihi est.
Mitis erat quondam fœlici sydere lætus
Dum fueram: at totus decidit ille fauor:
Me miserum breuibus q̃ sum deceptus in horis
Et q̃ sub modico tempore lapsa fides.
Fœlices igitur tales quicunq; per æstus
Tranquillo placidam ducitis amne ratem:
Non ita Bacche tener facilis te Gnosis amauit
Spreuit amatorem nec uaga Phæbe suum.
Magna loquor: nec sic delusit Cynthia uatem
Et secura tibi Galle liquoris erat.
Sed patiar quodcunq; uelis: licet ipsa reuellas
Hoc miserum ex humeris per uiolenta caput.
Sed te carminibus relegent dum secula: fiet
Cruda quod extiteris: nulla corona tibi.

Ad me ipsum:

QVæ mentẽ: sensusq; meos uaga cura laborat:
Ad cœlum reditus sit mea cura: labor.

Ad Locutuleium

NOn secus ac puerum cum te tractabimus: ecce
Me dices grandem Magnificumq; uirum.

Ad eundem.

OEiectus nostro cum sis pueriliter astu:
Crede mihi quisq; me sciet esse uirum.

Ad Reuerendiſſimum Protonotarium
Hieronymum Iuſtinianum.

SYrius æſtiferos mihi dum male porrigit ignes:
Me quoqꝫ diſcuſſo puluere ſudor habet.
Fac rogo ne trepidet tremulus dare uina miniſter:
Et bromii cuſtos me ſciat eſſe tuum.

Ad Antonium Mancinellum
litteratiſſimum.

CYnnama dēt arabes: tibi maſcula tura Sabei:
Hæc pira quæ mitto dulcia tybur habet.

Ad Angelum puerum ingenuum.

Nclytus æthereis puer eſt hic miſſus ab aſtris:
Non hunc humani progenuere uiri.
Fertqꝫ refertqꝫ citus magni ſecreta Tonantis:
Vera tenent: nomen nil aliud reſonat.

Ad Pomponium lætum
excellentiſſimum.

NOn hæc Romanos naſcunť poma per hortos:
Lecta ſed Heſperidum mala fuere iugis.
Siue Falerna bibes poſt hæc: ſeu forte liquorem:
Hoc nihil eſt: generant non bona poma malum.

Ad Petrum Mochium Senenſem
amantiſſimum.

NEc quicquā eſt homini melius q̄ ſemp amari:
Omnia ſub caſu cætera ſortis eunt.

Ad duos petulantes iuuenes.

HIc pueri partes enixa mente tuetur:
Quod lateri cupido dulcis Alexis ineſt.
Alter fæmineas certat defendere cauſas:
Quod fuit in pueri naufraga puppis aqua.

At siquid melius non ignorare Cupido est:
Podicis & femoris diffugiendus amor.

In cuiusdam domum Magni Tyrãni.

INcolit hosce lares Spurius: Fur: mãcus: & idẽ
Pedico & Paticus: hos fuge qui bonus es.
Hic colit: hic regnat Spurius: fur: mancus: adulter
Pedico & Paticus: hinc fuge qui bonus es.

Ad Franciscum Maturantium Perusinum litteratissimum.

MOeonium superant stilo tua carmina uatem
Traiciam cantu rite coacta lyram.
Immo præcipuum uatum tua Musa Maronem
Dulcis agit resonans: dulce poema tuum est.
Ardua doctiloqui resonantia Classica uatis
Cum ueteri Anneo tu modo primus agis.
Flumina saxosos montes cum rupibus altis
Carminibus posses sollicitare tuis.
Nempe nec illudo rethor sublimis: & idem
Sedes contiguas cum Cicerone premis.

In laudem Mancinelli litteratissimi.

ALta secant uolucres tuto stridente uolatu:
Annuat hoc Iuno si dea mitis iter.
Intrepidus tumidum scindit mare nauita remis:
Dũmodo Cæruleus non neget ire deus.
Et quisquis solida graditur tellure nec anceps:
Concedat cursus dum dea magna suos.
Ibis in ambiguus sic tu per singula uatis:
Nãq; ubi erant tenebræ nunc Cynosura nitet.
Ergo sume libens noua comentaria lector
Hæc Mancinelli: qui tibi dexter erit.

In laudem Abstemii litteratissimi.

P Actoli aut Hermi sapiens nec munera mallet:
Fluminis auriferi nec preciosa tagi.
Quam ueterum sensus: obscuraq; dicta resolui:
Quicquid & in uerbis durius esse potest.
Ecce tibi Abstemius quædam studiosa iuuentus
Edidit: e Phæbi quæ tulit arte sinu.
Lætari poteris: non intellecta fuere
Quæ tibi: sub paruo codice aperta leges.

In laudem Merulæ litteratissimi.

Q Vot puer incautos quōdā pharetratus amātes
Impulit ad sæuæ tela cruenta necis?
Quot laqueis periere fero sub amore iacentes?
Quot rapuit miseros æstus & unda uiros?
Sæuus amor quondam: factus nunc mitior armis
Leniter offendet pectora uincta suis:
Nāq; modum facilemq; uiam docet artis amandi
Hoc opus: Ast aliud uulneris edit opem.
Multum docta cohors: Veneriq; obnoxia pubes
Ingenio debet Naso Poeta tuo.
Nec minus interpres eadem tibi Merula debet
Quod per te multis quæ latuere patent.
Ergo tibi innumeras pro tanto munere grates
Merula culte tibi turba Latina refert.

In laudem Mancinelli
litteratissimi.

M Os Cynici laudandus erat collecta docentis
Omnia discipulos sub breuitate suos.
Nec minus a cunctis decoratur laudibus ille
Qui trogi longum q̄ breue fecit opus.

Et tibi flore datur laudi subiisse laborem
In Liui summa fertilitate pium.
Sic Mancinelli breuitas celebranda docendi
Cum pateant multis quæ latuere diu.

In laudem Antonii Constantii Poetæ Litteratissimi.

SVlmo tumet Nasone suo: Verona Catullo:
Gloria Romani es magna tibulle laris.
Vmbria Callimacho gaudet: Cos ipsa phileta:
Lætentur patriæ mœnia clara tuæ.

In laudem Polydori Virgili presbiteris.

MEmbra Pelops obtrūcus erat: tamen ille deoꝝ
Dicitur iratus consuluisse pater.
Sic operi Polydorus opem tulit ante reciso:
Quod nunc infirmo non pede carpit iter.

In laudē Ioannis Abiosi Mathematici.

Oc opus haud dubites lector fluxisse sacello
Aonio: nutuqꝫ dei peragrare superba
Atria nobilium & felicia tecta potentum
Sacrorumqꝫ subire lares pia limina regum.
Nam quæ Cælicolum latitarunt pectore: passim
Omnia monstrat opus dubiæ non irrita menti
Ac uelut ore deus credas archana resoluit.

Finis.

SECVNDI LIBELLI EPIGRAMMATON DOMICI PALLADII SORANI.

LIBELLVS ELEGIARVM DOMICI PALLADII SORANI.

Ad Candidam Calliopeam Elegia.



OGIS amata mori miserum me Candida cogis.
Candida crudeles inter haben/da feras.
Te propter Puer arcitenens pun/gentibus armis
Misit in ardentes pectora nostra faces.
Principio quãuis crescentem extinguere flammam
Tentarim: uictus terga manusq; dedi.
Quem non frangit Amor? tua non mortalis imago
Molliret radiis saxea corda suis.
Aurati uolitant humeris non ordine crines:
Intonsusq; tuis cedit Apollo comis.
Effulgent latæ duo sydera frontis ocelli:
Arma ubi sæua tenet insidiosus Amor.
Clauditur & roseis circum tua bucca labellis:
Lasciuumq; facit lingula sæpe modum.
Pectus habet teneras Veneri sacra poma papillas:
Collaq; sunt pura candidiora niue:
Nescio diuinus quis spiritus incolat artus:
Per quem digna uiris ingeniosa facis.
His mea flammato fixit præcordia telo:
His animum induxit dulcis & asper Amor.
Saucius hunc ignem si carmine pingere possim:
Haud dubitem uultus flectere posse tuos.

Nam mihi iam liquidas consumpsit flāma medullas:
  Estq; inuisa ceres insipidusq; sapor.
Ossibus exhaustis uix membra infirma coherent:
  Et pallor faciem depereuntis habet.
Nulla animo requies:& dum tenet omnia somnus:
  Me lachrymæ uigilem:peruigilemq; tenent.
Et si forte sopor fessis datur ullus ocellis:
  Mecum etiam in somnis aspera bella geris.
Ipsa licet uideas male sanæ incendia mentis:
  Non tamen ardori fers morientis opem.
Si possem lachrymis animum mentemq; mouere:
  Effluerent oculis flumina magna meis.
Cederet ipse mihi maternis artibus Orpheus:
  Crediderim si te flectere carminibus.
Cingere seu nemo℞ saltus tibi forte liberet:
  Ipse leues agerem per iuga summa canes.
Siue fretum curua uelles transnare carina:
  Ipse etiam uentis candida uela darem.
Verum nullæ animum lachrymæ:nō ulla uoluptas:
  Nec te Mœonidum uincere plectra queunt.
Q uid te adeo immittem præbes? adeoq; seueram?
  Q uidue preces spernis diua puella meas?
Non mihi pro uictu tenui bona rura colonus:
  Nec splendor patriæ:nec mihi gentis abest.
Parnasum colui:meq; Ipse ornauit Apollo:
  Partaq; iam studiis gloria magna meis.
Et si non aurum:tamen est mihi clarior auro
  Perpetuis Virtus annumeranda bonis.
Q uāuis lethali sim uulnere læsus amoris
  Artis opem medicæ tu mihi ferre potes.

Si miserum aspicias: si dulcia uerba loquaris:
Ardentiue animo spem modo si dederis.
Ergo quandoquidem potis es dare sola salutem:
Tolle faces totas: addeue tolle faces.
Perq; meos fletus: longos animiq; dolores
Eia age carminibus flectere diua meis.
Quod si dura neges pacem donare precanti:
Heu causa horrendæ tu mihi mortis eris.
Ite mei uersus thalamumq; intrate pudicum:
Et primum foribus oscula mille date.
Illic nāq; suæ studio bene docta Mineruæ
Artifici uestes Candida pingit acu.
Post introgressi pedibus date basia sanctis:
Fixaq; sint sacro lumina uestra solo.
Tum precibus: lachrymisq; meā defendite causam
Orantes igni premia digna meo.

Elegia Ad eundem de seipso uillicante.

QVid tibi uis? miserā quæ mentē insania uersat
Et gemitu & lachrymis sollicitare Iouem.
Non tibi cœlicolæ: non inuida fata repugnant:
Nec te rugosa fronte Minerua fouet.
Phœbus ait nec ego: querulis cur sydera pulsas
Vocibus? & uarios cur facis esse deos.
Si uis pomifera captare sub arbore frigus:
Occurret donis arbor onusta suis.
Aut cursare libet per florea prata: recurui
Non ledent uepres: non mala saxa gradus.
Omnia calcabis pedibus redolentia flore:
Omnia sunt oculis conspicienda tuis.

Aut ſuper herbiferam decuſſa fronde quieſcis
Tellurem: cantus dat Philomena ſuos.
Dulce canit Progne: propria gemit arbore Turtur:
Turribus a niueis diſſona uerba cadunt.
Alta Coturnices emittunt murmura campis:
Qui reſonant uerſus multa Cicada tuos.
Paſer & interdum ramis laſciuit in altis:
Et Cuculus ſolito tempore garrit iners.
Sibilat Anguis aqua cœnoſa Rana coaxat:
Sæpe tamen querula uoce ſub hoſte iacet.
Hinc prope fons liquidis circũlabentibus undis
Naſcitur ante oculos piſce natante tuos.
Non eſt qui terret coluber maculoſus in umbra:
Nec tibi ſollicito turba fuganda lupi.
Sed Satyri & Driades uerſantur Naiades undis:
Arbore Hamadriades læta caterua deæ.
Et modo concurrunt per florea rura napeæ:
Et modo Nympharum turba ſonora canit.
Quare lætus eas: laudes mediteris Amicæ:
Tartareis ualeant triſtia digna locis.

Inuectiua in Bucium querente
Patico.

QVid tibi uis Buci? quæ mentẽ inſania uerſat
Me tenerum toties ſollicitare marem?
Non ſatis eſt geſſiſſe tuum ſemel improbe morem
Turpiter: & me ſic ſuccubuiſſe tibi?
Purus eram cum terga dedi mea prona: tuiſque
Blanditiis ſuaſus: mollibus atque iocis.
Tunc ego ſuccubui ſimplex uelut inſcius infans
Ignarus Veneris quantus haberis eques.

At modo qui noui passus tua terreor arma.
Est tibi qua nimium leditur hasta puer.
Q uid moror? apparent nostris impressa labellis:
Q uæ tua iam rabies uulnera dente dedit.
Non secus atq; agnum præuisam ad pascua prædam
Et tenuit: rapido comprimit ore lupus.
Horreo cum memini morsus: lubricamq; saliuæ
Proluuiem: mundas conuitiasse genas.
Afflatumq; etiam tetrum exhalantis odorem
Ad nares uideor nunc quoq; habere meas.
Parce igitur pueros senior stomachose precari:
Sunt ea præcipue scorta nephanda seni.
Iam licuit quondam priscis retinere cynedos:
Nunc inhibet sanctus sanctaq; iura metus.
At tibi si talem certum est educere uitam:
Dii faciant subito fulminis igne cadas.

Ad Magnificum Alouisium Patritium Venetum.

O Icis Alouisi Venetum decus inclyte patrum
Mundum qui rexit hactenus esse nihil.
Hunc quoq; contendis supero non rege moueri:
Omnia difficili cum ratione putas.
Ortum non habuisse tenes: sic usq; fuisse:
Et solis tantã uim quoq; posse mori.
Alta refers & quæ ueterum pars magna reliquit:
Attamen omnipotens creditur esse Pater.
Creditur esse deo genitus (non irrita narro)
Orbis: & æterna cum ratione regi.
Q uis non miretur cœlum? solisq; labores?
Et phæbes cursum nocte silente uagum?

Quis non miretur spatiis data tempora certis?
Omnia diuina lege subacta manent.
Quem credis telluris opus: pelagiq; profundum:
Omnia quæ propriis composuisse locis?
Esse deum nos scire decet: cui cuncta reguntur
Ordine sub certo: factaq; lege prius.
Hæc sunt quæ dixisse satis tibi Maxime Christi
Cultor: & excelsæ relligionis honos.
Sed quod ais mecum numen nil esse supernum:
Principio mundū uel caruisse suo.
Sunt tibi dicta ioco: & forsan cupis ire probatum
Non opus est: uigeas cum probitate satis.
Et quæ iusta tenes: & quæ sunt digna notatu
Obsequar: haud dubium sub tua iura capi.

Ad. M. Antonium
Sabellicum.

INfelix medias uideor subuectus in undas:
Et uideor nullo remige mentis inops.
Quo me uentus agit miserum: quo feruor iniqui
Aequoris impellit: quo mala fata trahunt.
Illuc ire licet misero mihi: mente ferendum est
Aequa: nam hæc superi pro meliore iubent.
Interdum uastæ demittitur ira procellæ:
Concita nec uentis tethyos unda fluit.
Pacataq; deus currit ceruice per altum:
Paruula tunc ferme littora puppis habet.
Sed mihi non prosunt tenues in corpore uires:
Deficit ingenio qui fuit ante uigor.
Ancora procumbit subducto flamine: tandem
Spes mihi luctanti nulla salutis erit.

Me miserum morior: morienti numina prosunt
Nulla mihi: quondam quid bene facta iuuant?
Desperare nephas: modo tu mitissime præstes
Auxilium doctæ pastor Academiæ.
Solus adesse potes: uenias maturius ergo:
Obruar in mediis q̄ male fisus aquis.

Ad Illustrem iurisperitum
Angelum.

QVis tibi nunc leges audebit dicere flendi?
Pallida quis luctu temperet ora pio?
Namq; auferre tibi properarunt gaudia fata
Coniugio ac pectus dissociare tuum.
Fulminis ingenti miserandæ inflecteris ictu
Martia nam mœstæ præbuit ora neci.
Magnanimos quæ fronte hylari gestabat honores:
Patritiosq; omnes anteferebat auos.
Aurea quæ casto uertebat pollice fila:
Quæ tenuit mores culta Minerua tuos.
Cui Venus argiuos infixit pectore uultus:
Castalides miseræ cui placuere deæ.
Quæ concors pietate fuit: dignissima quæ iam
Iam dedit in partus pignora chara tibi:
Pro dolor: effigie quoq; prærepta fouebat
Gaudia: lethifero traditur ecce rogo.
Prospera num nimium fuerant tibi fata: furenti
Turbine cur cinxit impia parta domum?
Sydereos nati lachrymis aspergite uultus:
Ceruleæ uestra est tradita mater humo.
Matronæq; oculis imbres dimittite mœstis:
Martia nam moriens publica damna tulit.

Quæ licet inspectans omen miserabile mortis
Gauisa est: gemitus obstupuitq; tuos.
Sic animo occubens summissa uoce locuta est
Alloquio mulcens pectora fida pio.
Parce precor lachrymis: suspiria ducere uultu
Desine: nec rigidus luctus in ore tuo.
Angele mi coniunx cur te quatit effera mortis
Effigies? animo est quæ superanda tuo.
Credita cur mœres tollunt si tempora uitæ
Fata mihi? hospitium hoc atq; aliena domus.
An latet ut teneris pueri rapiantur in annis:
An fugit ut lethum strangulet ora senum.
Omnib9 æqua manet mors liuida: quā dedit auctor:
Dissimili meta comprimit ille diem.
Quid tum si pilii iussissent nestoris æuum
Ac phrigios annos degere fata mihi.
Sat uixisse reor nimiumq; in carcere uitæ
Spiritus alta petens cœlicolasq;: fuit.
Gaudia nunc igitur constanti pectore coniunx
Percipe: nec plorent pignora chara sinas.
Quæ tibi cōmendo generis sint gloria nostri:
Atq; bonas artes Gymnasiumq; colant.
Lumina tunc claudens terram coniungere terræ
Fata iubent: coniunx in comitate uale.
Hæc ait: ipse tamen uexaris imagine lethi:
Nec tristes gemitus attenuare potes.
Coniugis ereptæ fatum miserabile defles:
Quæ fuit in thalamis tam generosa tuis.
Impia iudicio non est sententia nostro
Nec tamen hos luctus continuare decet.

Ad te nunc oculos animūq; aduertere lassum
Incipe: mors omnes obruit atra uiros.
Siste precor: scandet cœlestia sydera coniunx:
Lætaq; honoratis conspicietur auis.
Nec te cōmoueant cæci discrimina partus
Sic placuit summo forsitan esse deo.
Ergo uale niueoq; tuis nunc uellere parcæ
Pensa trahant: lætos dent tibi fata dies.

Carmen in Romæ Vrbis Genethliacum.

ALliciunt animos reuocata Palilia nostros
Intermissa diu cum reuocanda forent.
Ecce dies & tempus adest & mensis & hora:
Et locus & populo fausta Minerua suo.
Ecce tuus magno colitur natalis honore
Prisca reuertuntur tempora Roma tibi.
Euge celebrantur quando hæc solēnia sacra
More palis Prisco Martia Roma deæ.
Sub qua principium sub cuius nomine prima
Fundamenta urbis iacta fuisse ferunt.
Multum nāq; Pales debet tibi Roma tibiq;
Auctor Romani iuste Quirine laris.
Plaudite Romulide & primū celebrate diem
Hunc in quo Roma est edificata die.
Quam pater Iliades sacrati cultor Asyli
Erexit tenui cum fabricaret humo.
Adsis alma Pales siluis armenta relinquens
Pastoresq; gregis pignora chara tuos.
Numine cum claro te iam dea transfer in urbem
Ad sollēne tuum iamq; uocata ueni.

Sacra tibi quoniam nunc instaurantur eodem
Quo ritu ueteres excoluere patres.
Fœlicemq; diem hunc: reliquos & trade futuros
Quo potiora feras annua sacra diu.
Hæc tibi conspicuo Blondus cognomine Caspar
Sacra renascenti tempore præsul agit.
Hic alter sublimis adest qui sacra deo℞
Hic numa Pompilius qui colat alter erit.
Hunc dea permultos uotis fœlicibus annos
Ad tua seruabis sacra futura uirum.
Viuat & in longum lætus Pomponius æuum
Fontis Pieridum non mediocris Amor.
Nomen utrũq; frequens ad sydera Caspar & ipse
Lætus ad extremos intonet usq; polos.
Quandoquidem excellit uates Pomponius omnes
Fons uber riuis qui modo fundit aquam.
Ingenio clarus: uirtute peritus in omni
Obscuras luci qui gerit hystorias.
Qui facit ægregiam titulis & nomine Romam
Quiq; acuit sensus ad meliora rudes.
Ipse Poetarum illustrator summus & ingens
Hystoriæ cultor: castaliiq; decus.
Hic tibi diua Pales antiqua uolumina uoluens
Candidior uoluit restituatur honos.
Cum uideat numen Romanæ sanctius urbi
Datq; salutiferæ congrua uota deæ
Fœlix namq; dies ipsisq; palilibus aptus
Ecce resurrexit cum latuisset ouans.
Romulus ecce pater cum Quintiliis celebrandus
Iamq; reuiuiscit Romulus ecce pater.

QVARTVS LIBELLVS DOMICI PALLADII SORANI.

Ad Hieronymum Leandrum Galatheum suum Corcordialem.

Ecce tibi mitto dulci spiramine uersus:
Quos ego non feci: noster Apollo dedit.



OMNIA uincit Amor superũ rex mugit in aruis:
Palluit & Titan omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor flexit Proserpina Ditem:
Martem blanda Venus omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor barbam Poliphemus adornat
Pan se uidit aquis omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor feruet Neptũnus in undis:
Neuit & Alcides omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor Salomon & Scipio uicti:
Ilion euersum est omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor cœlos & tartara & urbes:
Et nemora & pisces omnia uincit Amor.

BLanditiis Amor est: & succo mollior omni:
Melle quoq; est dulci dulcior ac melior.
Hoc condimento cœlestis mensa deorum
Vescitur: iccirco gratior Ambrosia est.
Nãq; ubi non Amor est: ubi non miscentur amoris
Suauia: nil lauti nilq; saporis erit.

Hæc iuuenes taceant quibus est Cytherea benigna:
Nam mihi felle malo tristior & grauior.

Ad Cinnamam.

QVum me cogit Amor quicq̄ male dicere de te:
Dispeream si non Cinnama discrucior.
Discrucior uerum tanto succendor amore
Vt peream si non quæ uelit ira loquor.
Pœna tamen præsto est nā uix dum lingua locuta est:
Cum mihi fit subito flebile cordolium.
Pœnitet & charam dictis lesisse puellam
Ac misero in lachrymas uertitur ira mihi.

Ad Cinnamam.

PAuxillū qd' amas me Cinnama: nū bene uelle
Plus tibi q̄ quæ oculis credis inepta meis?
Non amo te fateor? nam qui pote depeream te
Si mihi nū bene uis: nec bene uelle cupis.

Ad Cinnamam.

DA mihi basiolum mea Cinnama quale furenti
Ante hac nulla uiro fœmina surripuit.
Cūq; meis pariter coniunge labella labellis
Pro serpente mihi sit uaga lingua duplex.
Morsibus in blandis defecerit aridulus dens:
Et surgens tenui gutture spiritulus.
Lasciuum satis est quod mollis francia libat:
Verum hoc aureolum est Cinnama basiolum.

Ad Fanniā de cuius sæuitia queritur.

QVid mihi tam multas proponis Fannia pœnas
Et cupis in tantis excruciare malis?
Sit satis interdum grauibus me affligere uerbis:
Et miserum de me sumere supplicium.

Non ego seruitium dominæ tam mite recuso
    Ah pereat siquis uincula lenta timet.
Sed mihi dilectam clausisti dura fenestram
    Et dedignata es lumina ferre mea.
Sed nũq̃ potui lachrymis aut fletibus ullis
    Efficere:ut nobis mitior esse uelit.
Et quia te a teneris dilexi puriter annis
    Hoc meruit de te perfida longus Amor.
Quid si me alterius cepissent lumina:quid si
    Altera in amplexus isset amica meos?
Hoc nocuit misero seruisse fideliter uni
    Hoc nocuit tanta semper amasse fide.
O pereat quicunq; colit tenerasq; puellas:
    Et duræ sequitur militiam ueneris.
Et mihi si post hac fuerit quæ gratia tecum
    Dilanient auidi tum mea membra lupi.
Tum mea membra auido discerpant gutture corui
    Effodiatq; oculos qui mihi causa mali.
Ergo ego diuinos iam nunc assumere cultus
    Incipiam:atq; animum tradere cœlicolis.
Iam mihi Francisci tunicam cordamq; parate
    Iam teneant nudos lignea uincla pedes.
Quam iucunda mihi ieiunia:quis ego cœlum
    Emeream:quum me soluerit atra dies.
At tunc nostros flebis deserta labores
    Quin subeant ueneris dulcia furta meæ.
Quum subeant dulces quas tecum ducere noctes
    Sæpe admirata es:lassaq; facta prior.
Sed quid tũ lachrymæ?quid tum tibi uota precesue
    Quem semel expuleris non reuocatur Amor.

Non tu Chara mihi poteris: non bella uideri
Non si sic fieri charior ipsa uelis.
Et licet in te alius diues suspiret amator
Exemplo fuerit cautior ille meo.
Ac ne quem lateat q̃ sis non mitis amanti
Sæuitiam dicet parua tabella tuam.
Quam legat & iuuenumq; chorus doctæq; puellæ
Et quecũq; aliquid cogit amare Venus.
Fœmina neglectos semper fastidit amantes
Hoc illi uitium mater iniqua dedit.

Cui det dono meã Columbam.

QVi uestrum niueam meam Columbam
Donabo o pueri? tibi ne Iuli?
An celsi tibi? an tibi Nearche?
Non uobis dabimus mali Cynædi
Non uos munere tam elegante digni
Quin ite in miseram crucem: diuq;
Concisis maceremini mariscis
Insulsi illepidi & parum uenusti.
Sed cui nam cupis o Columba munus
Deferri: scio nam meã puellam
Amas plus oculis tuis: nec ulla
Viuit mundior elegantiorue.
Hæc te in delitiis habebit: hæc te
Preponet nitidis suis ocellis:
Nec tanti faciet suam sororem
Huius tu in gremio beata ludes
Et circũsiliens manus: sinumq;
Interdum aureolas uoles papillas:
Verum tunc caueas proterua ne sis:

Nam pœnas dabis & quidem seueras:
Tantillum modo tam uenusta poma
Seces unguibus: est enim Diones
Tutelæ hortulus ille dedicatus:
Numen ledere tu tuum caueto
Impune hoc facies uolente diua
Vt dum te roseo ore suauiatur
Rostrum purpureis premens labellis
Mellitam rapias iocosa linguam.
Et tot basia totq; basiabis
Donec nectarei fluant liquores.

Ad amicum de Fannie uenustate

FAnnia formosa est carusi Fannia pulchra est:
Totaq; mollicula est: totaq; lacteola est.
Et cum lucidulos in me conuertit ocellos
Tota Venus tota est Fannia nequitia.
Basiaq; humidulis cum sumit rapta labellis:
Tum mihi de cœlo spargitur Ambrosia.
Hæc mihi præripuit sensus & amara uidendo
Vulnera dat: lachrymis excubat illa meis.

Stans in limine suæ puellæ optat se illic fieri saxũ.

SI me marmoreum faceret deus hic ego saxum
Quod premeret pedibus Fannia dura suis.
Nam quoties sacri peteret pia limina templi
Per mea membra suum saxea ferret iter.
Et cum festa leuem ducetur pompa per urbem
Limine constaret conspicienda suo.
Tunc ego marmoreus q̃uis nec sensile saxum
Gauderem nitidis ipse premi pedibus.

Nam nihil est cœli subter regione creatum
  Quod non uirginei noscat amoris opus.
Quod siquid uenerem Cythereaq; uulnera nescit
  Durities pectus induat illa meum.
Et si te biduum cogar caruisse necesse est
  Inspeciemq; abeat nostra figura rudem:
Vna dies tantum est q te non Fannia uidi:
  Et sine iam uideor sensibus esse meis.
Altera q̄ uereor ne sit lux inuida nobis
  Et sim de nostro nomine pondus iners.
Quicquid ero merear cum de te Fannia maius
  O saltem strophium possit ut esse tuum.

Ad Antonium.

ANtoni pater elegantiarum
Atq; idem pater omnium leporum
Vnus te rogat ex tuis amicis
Cras ad se uenias; ferasq; tecum
Quantumcunq; potes facetiarum
Et quicquid fuerit domi iocorum.
Nam tantus sibi risus apparauit
Quantum democrito diebus octo
Profundi satis & superfuisset
Quam tecum patulo cupiat palato
Perridere suapte risione
Condita leuitate ineptiisq;.

Quid in amore miserum aut beatum sit.

MIser qui amat uidetq;: quod cupit: nūq̄.
Magis miser qui amat uidetq; nec tangit.
Miserrimus qui amat uidetq; tangitq;

Cum Fabiisq; remus iam respirare uidetur
Prægestire omnis pene uidetur humus.
Iamq; Palatini superat cum fratre cacumen
Collis Auentini iam superatur apex.
Iamq; sedent urbis captantes signa futuræ
Aera lustrantes stratus uterq; notat.
Augurium non sorte pari uolitantibus ambo
Vulturibus captant agmine disposito.
Bis senos uidet illa prior sors: altera senos
Regnatura uber: sors peritura minor.
Augurium captant dum non æquale gemelli
Roma tibi nomen Romulus inde dedit.
Vnde frequens studium Virtutis ad omnia fluxit
Cum certaminibus robur honosq; sequens.
Vnde dedit leges inuicta potentia cunctis
Gentibus imposito iussa tenere iugo.
Vnde etiam uates Atlete & Rethores orsi
. Artibus inde probis nobile Gymnasium.
Iamq; coronatos Phæbi dyademate uates
Aspice purpureos inclyta Roma uiros.
Laurea Phæbe tuis claris concede Poetis
Qui modo carminibus promeruere suis:
Inter quos uates dignissimus Astronomorum
Se quoq; digna quidem laurea serta capit.
Cum tamen a lauro nomen Laurentius esset
Congrua Phæbea nomina digna coma.
Carminibusq; suis iuuenilibus alter in annis
Elius insigni fronde decorus erit.
Phæbe tuas meritos uates præcinge coronas
Numen Apollineum carminibusq; sonet,

Aonidum mentes uatum pia cura resoluat
  Excitet & largo flumine corda precor.
Vt tua perficiant diuturna nomina laude
  Militet & quisquis premia digna ferat.
Et plausum & grates referat tibi Cynthie dignas
  Et te præcipue nomine quisq; uocet.
Sacra deum præbente uiam te maxime Pean
  Cogantur numeris semper agenda tuis.
Fœlix ista dies:& fœlicisimus annus:
  Mensis & hora: uale splendida turba diu.

Domicus Palladius Soranus in Rusticã turbã.

r VStica Parnasi contempnunt bruta liquores:
  Et lacerant sacros rustica turba uiros.
Rusticus usq; licet sectetur dente poetas:
  Non ponam nomen rustica turba tuum.
Rustica mœoniis non obstat lingua libellis:
  Titirus usq; canit:rustica turba tace.
Parthenopes culti uiuunt monumenta laboris:
  Bilbilis & betis:Rustica turba tace.
Sulmo daphnea succinctus tempora lauro:
  Et florent arpi:rustica turba tace.
Silius:& Satyri nomen perlucet aquini:
  Vmbricus & splendor:rustica turba tace.
Carmina pierii florescunt sacra Tibulli:
  Et Persi cultus:rustica turba tace.
Rustice liuore & rabie rumparis iniqua:
  Cingat dum nostram Calliopea comam.



Finis.

LIBELLI ELEGIARVM.

